... Cast. Oswec. ... sh: Cenotaphium funebre cum tristes mortalitatis exuvias — Marianus Przytecki — in ferali urna deponeret. Cracoviae. 1643.

CENOTAPHI=VM FVNEBRE

CVM

Tristes mortalitatis exuuias

Jllustris & Magnificus Dominus,

D. MARIANVS

APRZYŁEK

PRZYŁECKI

CASTELLANVS OSWECIMEN:

Virtute & Prudentiâ Heros Clarissimus,

In Ferali vrna deponeret, ipsius lugubri in funere Exequias.

CHRISTOPHORVS PARZNICKI RADOMIVS Philosophiæ Doctor, & Artium Magister, in Alma Acad: Cracouień. Professor, soluto dicendi genere, cum debito obseruantiæ officio, palam deprædicat.

CRACOVIÆ, Typis Valeriani Piątkowski, 1643.

IN HEROICA ARMA PROSAPIÆ PRZYLECIANÆ.



FLumen ego rapidum, *Srzeniawam* dixero belle?
Nam fluidis large, flumen inundat aquis.
Hoc insigne Domus, dudum PRZYLECIA gestat,
Irriguos tingit, fonte scatente Lares.
Hac de stirpe refert, Ecclesia sancta Patronos,
Hinc Patriæ fortes, subueniuntque Viri.
Magnanimos, claros, humanos, robore fortes,
Strips generat semper, flumen aretque nihil.
Fonte Crucis proprio, si defluat alueus vndis,
Elysijs equidem, stat Domus alma iugis.

Ioannes Porebski Studiosus Academię Crac: Nepos ex sorore

Illustri & Magnifico Domino,

D. ACHACIO

A PRZYLEK

PRZYŁECKI,

DAPIFERO TERRÆ CRACOV. DIGNISSIMO:

M.* CHRISTOPHORVS PARZNICKI. *Salutem, & omnem prosperitatem.

FErocia acerbę mortis tela Ill: Mag. Domine, vt frustrą neum formidare sit, ita planè, haud credibile, quenquā eadem subterfugere posse existimem. Supremi etę enim, iusto Dei decreto, ac edicto, ius semel in casum humanum constitutum, terris inclaruit, vt quod natum ac cęptum exsistat, idem corruptum & finitum esse, invita desinat. Neque profectò iniuria, quandoquidem diuersas, ac multiformes vitę humanę calamitates, crebro præsentimus, quòd eadem perferre & tolerare graue sit, finem earundem intimè appetere, vt in eo, quàm proximè oppetere diem possimus, consueuimus. At quia frequentem luctum, morte alterius ipsa dies exciat, id non vna ratione profectum esse liquet: siquidem, cùm fragiles naturę mortalis vires deplangere, tùm amici firma spe orbati dolere, tum quoq; vtilitatem hominis, in Repub: gemitu indesinenti deplorare, iustum sit. Et verò, id quod cęteris solemne & vsitatum superstet, hoc peculiari quodam iure Tibi Illu: Mag: Domine pro-

prium

prium est: maximè cum propinquo sanguinis ortu affinem Tuum, superstitem vixisse noueris, ab eodem per vim diuelli & abstrahi, plusquam violentum esse Tibi videatur. Lachrymas igitur Tuas, quo tandem elogij genere, mens depredicare poterat genius, hoc idem funus, & exequias, lugubri Orationis cursu, debitè renuntiare non abnuit: Ac ne Tantę Prosapiæ Illustris fama, in secreto, & arcano quiescere possit silentio, vocibus ad tristem plãctum vergentibus, cum nolit scribere, quidquam ad solatium adnotare, non intermisit. Quanquam, cum interdum luctus, certo quodam solatio sibi esse cognoscatur, nam si quo anxius, & tristis animus, semet solari non valeat, lachrymis & gemitu proprio, sese exhilarare crebrò assolet. Ac vt certus præscribatur lachrymandi modus, qui plus corde, quàm vultu videri debet, proinde hoc tenue laboris mei opusculum, prudenti & generoso animo recipe, quo enim semper viros, de literis benè meritos, prosequi assuêsti, eodem quoq; per quàm lubens suscipe, cuius si affectus par ratio adfuerit, ad maiora postmodum tentanda, & scribenda me incitabit.

ORATIO.

COMMVNE et perquàm lugubre, mortis horrendę spectaculum ILLVSTRIS MAGNIFICE DOMINE, palam, omnium mortalium oculis, in hac vniuersi Orchestra, exhibetur: in qua enim, iuxta ipsius operum affectus, mēs humana, eidem multiplices, easq; exosas titulorum aßuit Vesticulas; tandemque Tragico pręcinctam apparatu, publicè in Theatro vitę humanę, producit. Etenim, cum eadem inusitatos, ac propemodum infinitos, perimendi homines, reperiat modos, non est quod miremur, vt eam inuisam, asperam, et acerbam, infelicem, et inexorabilem vocitet, ac demum nescio quibus tandem ipsam, humana vox non appellet nominibus, quibus vt ita, ex innato quodam in ipsam odio, solicitam mentem leniat. Digna profectó digna, pluribus et asperioribus huiusmodi voculis, quę Principes, et magnos

Proceres, vindice pede poterit, ac velut inter eos, magnum è Senatu Poloniç Virum, MARIANVM PRZYŁECIVM exemerit, Fratres, Affines Vicinos, ac tandem Propinquos, vix vnquam ſopito mçrore, affecerit. Veruntamen, cum ſapientiſsimo, iuxta çquiſſimo Superni Rectoris arbitrio, id eſſe conceſsum non ambigam, ipſiusq; lethi ius proprium, facilè credam, eidem tantopore ſuccensendum, vix dignum, et pium eſſe iudico. Hçc quandoquidem, citra Supremi nutum, et ſtabile imperium, nihil attentare, et aggredi vnquam audet, nihil ſuo, quamuis cçco lata impetu, moliri prçſumit, nihil denique ſua poteſtate, aut pertinacia exequi cogitat; illam exinde, quo pacto doli ac fraudis conſciam, inſimulant et arguunt? quinimò inſontem, et innoxiam, prçſens vel ipſe affirmaro. Et quamuis vnius viri occaſu, ac obitu, hominum animos, graui mçrore pçnè exanimatos, labi conſtet, prout ipse in eo, Illuſtriſs: Caſtellani Oſuecimenſis funere conſpicio, attamen, vt ſuis mors, careat probris, et conuicijs, probè ipſius facta, et cogitata, quam poſtmodum nobiſcum mitius proceſſuram confido, collaudabo. In eo ergo ſcripti genere, ſeram annis grauibus mortem, dulcem grandium, in vita laborum terminum et quietem, dici cogitariq; poſſe, non iniquè ſenſero. Et cum id certò ſciam, quòd nulli veritati abſonum eſſe, ab omnibus in aperto censeatur, eam ob causam, plus lenimento et solatio, quàm mçrori, et mortis execrationi, recto omnium benè sentientium iudicio, eſſe concedendum. Humanç vt

probè

probè cõiicio, fortis et calamitatis est, in hoc mortalitatis curriculo, vt quę diuturno labore, quousq; supervixerint exagitentur corpora, longis curis, ac molestijs citra modum opprimantur, inexhaustis fatigationibus, crebris vigilijs, assiduis anxietatibus, eneruentur, exanimẽtur, ac corruant. His perquàm oportunum eße, vt refecta certo silentii modo, composita leni quiete, roborata forti solaminis pręsidio, conquiescant. Siquidem, post exantlatos virium humanarum, cum crebro et continuo sudore, labores, quid oro, in vita dulcius quiete? quid optabilius pace? quid iucundius tranquillitate? quid derum sit desiderabilius animi sedatione? maximè cum nihil in vita diuturnum eße credatur, quod laborum suomum, in anxietate, et acerbitate nonnunquam certa relaxandi spe, destitui queat, et quod per se firmum, ac stabile subsistere poße, falsò pręsumitur, procul dubio, illud ipsum, collabi, ac in nihilum pęnè redigi cogitur. Verùm, cum fatalem mortis vicem, pręmio quietis futurę, quosquam afficere certo non dubitemus, funebres memorandi Herois, ac Senatoris MARIANI PRZYLECY *conspiciamus exequias. Quò enim mors, eius rudia iuuentutis Tyrocinia abegerit, quę non ocio, sed negotio, non torpore, sed labore, non inertia, sed accurata diligentia, exacta fuiße, vnicuiq; compertum sit: quò statum vlteriorem ablegarit, quem non rebus humili pondere exactis, traductum perfeciße, omnibus in confeßo est, quò*

deniq;

deniq; virilem, et maturam Senatorij Conſeßus Togam, abiecerit, qua ſplendide, et magnifice indutus, ſaluberrima Patrię noſtrę conſilia, perſpicaci toties enunciauit genio. Vult; et exigit à me res ipſa quò ꝛ conuertit ipſius curas, in ſuperam beatitatis ſedem, in exoptatam, poſt humanę vitę labores, quietem, ad extremum inquietam, et liberam ab omnibus ęrumnis, calamitibus, et miſerijs vitam, in qua ipſius omnes anguſtias, incommoditates, et dolores, felici termino, conſignauit. Hinc Naturę, et laboris, quiſq; in eo poteſt mirari, et permagni ęſtimare clementiam, quâ copioſè ut erat locupletatus, ita inter exteras gentium Nationes, in quibus, certo annorum tempore, non ſine proprio commodo, et expectatione Parentum, ſolatio affinium, ſplendore et gloria proximorum, vitam decēter egit. Eò quoq;, cum è ſublimi, pleriq; Nobilitatis flore, in uoluptatē et otij leue ſtudium fluxißent, illum ipſum (vt erat ſemper infracto animo) ſemotis, ac reiectis omnium deliciarum illecebris, nunquam tamen vllis in tenera ętate lęnocinijs, deliniri, vt ne dicā corrumpi, potuiße. Summa in eo virtus, labor, et conſtantia, ad maiorā poſt hac aßequenda, expeditam ſternebat viam, excellentem portendebat induſtriam magnanimam pręmonſtrabat dignitatem, cum etenim moribus, comitate, cūctis Illuſtri Familia ortis, pręniteret: docti Apollinis, et induſtrię Palladis, ſtrenue ſecutus caſtra, in vnaquaque ſchola, semper cum digno, sui honore, et venerati-

one,

one, militauit. Profecit is non mediocriter, in certo pietatis officio, integritate, grauitate, prudentia, ingenio, ceterisq; alijs virtutibus: namque non otio, non segnitie, non leuitate, non libidine, non petulantia, carissimum quodque tempus in cursu studiorum incboato, transmittendum fuisse, putauit. Fortem verò, et strenuam ibidem nauauit operam, cum Philosophię totum animum deuouisset, ac meditationi Platonicę, mortis inquam contemplationi, se adeò consecrasset, vt senij grandęuam ętatem, nullo alio magis, prętterquam Philosophico occupasset, et solatus fuisset studio. Amplissima. industrius iuuenis, exterarum Nationum Regna, locupletißimas, ditionum variarum Prouincias, copiosißimas omni genere opum, et facultatum Terras, plus decennio visitauit. Hispanię, et Galliarum, apprimè coluerat Musas, tum in Italia, et Germania, penetrauerat Academias, in quibus studio Iuris, ac Eloquentię, nec minus Historię versandę commodo, animum adiecerat, quàm ea omnia bene gnarus, rerum edidicit. Insuper, mores et linguas, illarum Regionum, quas incoluit, probè et exacte calluit, patrio semper, festiué vsus sermone, Latinum nunquam dedignatus fuit idioma, imó illo ipso, facundiam, ad quam optime natus, et eruditus visus erat, se conuenienter formauit, conuenientius firmauit, conuenientissimè communiuit. Vsque etiam adeo, auida mente, omnibus inuigilare cępit, vt nihil singulare, quod non proficuum, nihil ad-

 mirá-

mirabile, quod non dignum, nihil innouatum, quod non iucundum, post hac sibi fore, presentiret. Atqui minora hec sunt, ad maiora meus festinat animus. Magnificam satis, et Illustrem MARIANI *dignissimi, conspicite Domum, et Prosapiam, que veluti nitidus, in Sarmatico celo Titan, Hemispherium Septemtrionis nostri, luculenter illustrauit, quà enim in Patriam meritis, quà in Rempub: obsequiis, quà in Senatum votis, et sententiis. Multi enim ex hac Viri, Heroes, et Proceres memorandi, prodierunt, qui armis et consilio, immortalem in Repub: nostra nominis famam, posteritati pepererunt, reliquerunt. Reuocate vobis Poloni Equites in mentem, recentis memorie Hieronymum illum Przylecki, Castellanum Sandecensem qui Domi, consilio potens, belli Marte gloriosus extitit, partim perduellem hostem, Michaelem Palatinum in Valachia, fortiter proterens, partim Carolum, Sudermanie Principem, in Liuonia horrendè persecutus, viribus et ferro, gloriam conquisiuit. Nec primum erat, in Regno Polonie Przylecijs, vt semper ijs, à puero inditum, et innatum est, animosa virtute, querere gloriam, eamque partam, fortiter vi, consilio et armis tutari, et acerrimè defendere: è quorum illustri sanguine, Viros animoso pectore insignes, Hectores magnanimos, Vlysses intrepidos, Agamemnones feruidos, Aiaces robustos, et infractos, pridem perstitisse, et uiguisse, luce meridiana clarius constat. Adspexisset quisq; presens,*

Hero

Heroicam, aperto Marte, Hermolai Alexandri, Przylęcki, prestantiam et dexteritatem, ad quam et Vir memorandus Marianus, ni se, pacatiore Musarum, atq; viuendi occupationi dedidißet, per naturam factus, et natus optimè visus fuit, qui admiratus, inquam Hermolaum, infracto Marte potentem, cum primum in Valachia, contra infensissimum, Christiani nominis Hostem, Osmanum Turcarum Jmperatorem, arma prima manu sumpsisset. Jnaudiuit, creberrimo famę nuncio, ad rapidi Borysthenis littora, acri robore, et inuicto ausu rebelles Kosaccos debellantem, & vincentem. Exhorruerunt, non semel, Russię inuisi prędones Tartari, in Podolia Hermolai generosam virtutem, et manum, suspexit, è mari Balthico, descendens, pyrata Suecus, in continenti potentem dexteram, et dexteram potentiam, Hermolai. Qui pluris Patrię estimauit, suâ postposita salute incolumitatem, vt nullam sui copiam, ad validas belli expeditiones, vnquam subtraxißet, quibus non fortiter, et acriter sua pectora opposuißet, et animosè cum hoste dimicaßet. Jlle, ille est, qui semper, dulce ac decorum, pro Patria mori, prout insignis ductor, militem suum toties cohortatus, ac etiam in graui cruentę Bellonę discrimine, fluctuantes animo comites, potenter animauit, non immemor illius dicti, à quodam Romani nominis duce, editi. Aut hic nobis vincendum est milites, aut moriendum. Et quandoq; ad confortandas in prelio vires, innuebat. Repetamus

 mus

mus si placet vetera, num aut duo Decij, pro salute Patrię, sese vnquam deuouissent? aut Camillus, eiectus à suis Ciuibus, eos ab interitu vindicasset? aut Fabricius, tam tupem, proditionem Pirrhi Regis, contempsisset? aut Africanus, ne infinitos alios commemorem, sibi, à captę cuiusdam eximia forma consuetudine, temperasset, nisi eis, longo meritandi vsu, persuasum fuisset, nihil esse expetendum, pręter laudem, et honestatem, in ea enim persequenda, carnis cruciatus, corporis pericula, mortis, et exilij, parum esse ducenda; contemnenda esse omnia, quę cum honestate pugnarent, quantumuis ea ampla, et commoda, et magnifica esse viderentur. At superuacaneum esse puto, alienis et exteris rebus, Orationem intexere, cum abundemus proprijs: hęc sola laus, hoc idem glorię nomen, iure meritissimo debetur PRZYŁECIIS, qui pro generositate sanguinis, magna vbique pręstantes, domus, tàm bello, quā pace potenter adepti sunt, decora. Summam et hinc, ab antiquo, Magnificentiam referunt Przyłęcij, vel ij duo Fratres, in vita etiamnum superstites, I.M.D. Achacius Dapifer Terrę Crac: et P.A.R.D. Stanislaus, Canonicus Posnaniensis, quorum is venerandus Ecclesię Prelatus, Supremum, ad diuas aras Conditorem, tremendo sacrificio deprecatur, alter Toga et sago, Marte et iure, Domi et foris gloriosus, grandia in Patriam merita, queque dignè cumulat, eadem confert gratiosè. Hi enim, cum celebri et Auita Koricinsciorum domo, et

familia

familia, ſeſe copularunt, pręſtanti itidẽ Porembſciorum generi, Excellentium porrò, omni virtute Lubomirſciorum ſanguini ſuam, aggregarunt Proſapiam. Tum potiſſimum, cum Illuſtriß: et Mag: D. Staniſlai Lubomirſki, Palatini et Generalis Crac: ſplendida potentia, cęteriſq; inſignibus, et fidelibus Senatorum, in Regno Polonię Ciuibus, coniunxerunt: vt hactenus etiam, nunquam intermoriturã famã, Illuſtr: Caſtell. Sandec: Parentis ſui, omni ęuo memorabilis, iuxta ac Patrui Pręſtantiſſimi, Caſtellani Oſuecimen. patrium inſigne referentes, non iniquè glorientur. Proponite vobis in conſpectu Veſtro, Caſtellanum Oſuecimenſem, ququi, aliquando, ſummo deſiderio, ipſum videndi tenebamini, is poſt longinquas exterarum Regionum oras, feliciter peragratas, ad Diuę memorię, Auguſtiſsimi Sigiſmundi III, Regis Polonię Aulam, animo eximia indole bene dotato, iuuenis protinus ſe diuertit, ac ibidem, caſtè, et verecunde, iuſtos annos peruixit. Quid de eodem, amplius dicam? qui ſub moderni Monarchę, Victorioſiſſimi, et Inuictiß: VLADISLAI IV. Domini noſtri Clementißimi, felici imperio, ad curiã, ſua prompta obſequia, diu pertraxit, vbi, quem vidiſſe fuit, maiore animi moderatione Magnatem, Przylecium, quem ſedatiore grauitate, Przylecium, quem affabili colloquio, et ſobrietate, Przylecium. Quantę hic prudentię fuerit Senator, colligite, qui primum vnanimi diſtrictus nutu, et acclamatione, Zator: Iudicis nomen aßecutus,

insti

iustitię sanctissima iura coluit, legum ac Priuilegiorum, nunquam violauit decreta. In peraugusto tandem considens Senatu, Castellani Osuecimen: insignem Titulum, summa cum omnium gratulatione, obtinuit: in eo multa prudenter, multa sapienter, per ipsum agitata, et dicta, hucusq; referuntur. Pręterea, et taceo multa, quę Heros disertissimus, in ea sede cogitauerit, cogitando statuerit, statuendo consuluerit, consulendo induxerit, inducendo persuaserit. O pręstantem iudicem ò insignem Cō siliarum, ò excellentem Regni Senatorem, qui tot, ac tanta suo iudicio, enixus fuerit. Cogitauit, identidem, in matura ętate, de infesto fati interuentu et ita cogitauit, vt vitę magistram, nullam duxißet meliorem morte, cuius sero aduentu, et diutina expectatione, magna se in vita prestitiße, plurimum gestiebat. Terminum mortalis conditionis, si quisquam consideret, eum quis dicendum bonum, non autumabit? quis neceßarium, non animaduertet? qui priusquam hominem, ex improuiso, et velut insidijs, adoriatur, vnum quemque mortalium, ad omne bonum (quo ille progreditur medio) in vita operandum, et conficiendum tardo suo accursu, ac terrore, pręmonet, hortaturq;. Vnicum oro, quo etiam memorandi Przylecy mors, progressa fuerit medio? si non virtutum et recte factorū: equidē ita est, voluite et reuoluite, illius vitā, à prima actutū infantia, ad Christianę Religionis, et pietatis officia, proximè veluti manu ductus et apprimè formatus, cum

cum fidei Orthodoxę, salutaribus institutis, nec non prę-ceptis imbutus, minoris ęui cursum peregit. Quid quod *dicam de maioris ętatis progressu, in quo animũ ad excelsa prognatum, graui otio torpescere, nunquam sibi in animũ inducere voluit pręter enim crebram sacrarum Concio-num auditionem, colloquia ad Christianam fidem attinen-tia, disertè et frequenter inseruit, Hystorias nonnunquã sacras è quibus vt se, ad sanctè beatèq; videndum, melius informaret, lubens lectitauit.* Quid plura? *in sublimi-ore enim fixus loco, si quando iudicandi superuenit hora, ęquitatis nunquam limites transgressus, Diuinum timo-rem prę oculis versans, subditorum, clientum, pauperum, viduarum, ęquabili omnium iura distinxit prudentia, ter-minauit sententia, roborauit iustitia. In iniurijs nam-qué, hominum afflictorum vindicandis celer, in puniendis malis circumspectus, in sufferendis vitijs, perquam ardens; superuixit.* Prouidus *quoq; in pauperes, munificus in* Religiosos, *liberalis et effusus in amicos.* Transeamus *quo que, ad nouissimum vitę articulum, hic acerrima morbi compressus affectione, prius animę, quàm corporis accer-siri curauit medicum, vbi facta scelerum suorum, per con-fessionem expiatione, contrito ac deuoto quiescens animo, sacro viatico pręmunitus, ô quot in eo puncto, ad Christi imaginem suspiria, gemitus, et voces ediderit, frequentia ad Seruatoris nostri, in cruce pendentis imaginem, basia et amplexus fixerit cum ordinata tandem animę dispositione, extremam, vitę fausto exi-tu, clausit periodum. Stipem, necdum extinctus*

animam efflauerat, dispertiendam, in sanctos Ecclesiarum vsus, scripto demandauit, ab pęne obligauit. Obtulit anima deuota, ędibus Diuo Patri Francisco, pauperi, et semper humili sacratis; summam trium milliarum adnotatam, cuius Diui patrocinio, et Tutelę, corpus exanime, ad asseruandum et tumulandum, supplex reddidit. Reuocauit deinceps, et Christi prę monte Caluarię, acerbissimam Passionem, loco ea propter, D. Bernardini Patribus exędificato, quem eousque, paßim Caluariam hominum voces nominant, mille florenorum, liberali animo Eleemosynam, elargitus. Quid commemorem, alia atq; alia Templa, sacraque loca, quibus ducentos, aut quadringentos, pro suo animo, et placito, feruenter impendit. Adhęc, suę ditionis villanas, largo nummo locupletauit Paręcias, siue ad reficienda et restauranda pleraque, siue ad extruenda, et fabricanda nonnulla. Xenodochys, ac Hospitalibus, pro pauperum sustentanda vitę ratione, grauem illorum, aliquot centenis inopiam florenis subleuauit. Vos vos itaque appello, qui proximè Dignissimi Castellani cubiculo, inter exhalandum animam, adstitistis, nonne satis decoram? satis iucundam? satis optimam aduertere potuistis mortem? ô felicem mortis horam, ô dignam memoria, ipsius manum, quę non prius aggressa, quam Diuina lege, et superno edicto pręmonitum, sacroque cibo decenter refectum, ac pręmunitum, cognosceret: Qui Vir, vt ante mortis preuium accursum, Deo, Naturę, Patrię, pio operum,

rum,

rum, et meritorum officio ſatisfecit, integrè quindecem luſtris et vltra confectis, tutò ac quietè, in humanis eſſe deſiit. Placidè ſatis, et clementer, mortale fatum, ſi cum eo proceſſit, quis illud malignum et temerarium, quod iniurioſum eſt, profitebitur. *Actum quapropter in eo* (mortis fauore) ſufficienter, prius quam incommoda et importuna ſuperueniſſet, exegit iuuentutem, ſtudio et verecundia, virilem ſtatum, piefactis et meritis in Patriam traduxit, ſenilem ętatem, prudentia, et ſacra liberalitate cōfecit. Dignum, et conueniens itaq; videtur, vt quiſq; pro ſua virili, in bonis quà corporis, quà animi et honoris, proximè imitandis, ipſius exemplo, ęmulari contendat. Cęterum, Tui eſt muneris, I. et M. D. Dapifer Terrę Crac: omni virtute integerrimi Patrui, digna cęlo merita, funebri cenotaphio, aureis literis inſerere, vt ad ſerę poſteritatis, diuturnam memoriam, magnum nomen, et gloriam Przylecicium, venturi qui ſęculum procinat, Tuasq; ex oculis lachrymas, et animo dolorem, detergat. Pijs deniq; ipſius Manibus, poſt depoſitas, mortalis vitę exuuias, beatorum ſedem comprecantes, ac morti neutiquam, in aliquo detrahentes, vt ſic pio Defuncti inſiſtentes exemplo, ſiquidem, Omnes manet vna nox, et miſta ſenum, ac iuuenum denſantur funera, virtutū merita cōſectemur.